

## Disputatio Solennis Medica, De Arcanis Medicis

Buetzovii: Typis Johann. Gotth. Fritzii, [1765]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn880872713>

Druck Freier  Zugang



Universität Bützow  
Med. Fak. 1765  
Detharding/Thomsen

*Bützow 013*







DISPUTATIO SOLENNIS MEDICA,  
DE  
**ARCANIS MEDICIS,**

Q V A M,  
FAVENTE DEO OPTIMO MAXIMO,  
CONSENSU GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE,  
IN ACADEMIA FRIDERICIANA  
BUETZOVIENSI,  
SUB PRAESIDIO  
DN. GEORG. CHRISTOPH.  
DETHARDINGII,

FACULT. MED. SENIORIS ET DECANI, UT ET SERENISS. DUC.  
REGNANT. CONSIL. AULICI,

PRO GRADU DOCTORALI

RITE CAPESSENDO,  
DIE OCT. A. MDCCLXV.

H. L. Q. C.  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTIT  
CHRISTIAN. FRIDERICUS THOMSEN,  
BURGO - FEMERANUS.

---

BUETZOVII

TYPIS JOHANN. GOTTH. FRITZII, SEREN. PRINC. AUL.  
ET ACADEM. TYPOGR.

DISPUTATIO SOLEMNIS MEDICAE  
DE  
ARCANIS MEDICIS

QVAE  
FAVENTE DEO OPTIMO MAXIMO,  
CONSENSU GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE  
IN ACADEMIA FRIDERICIANA

BUTZOVIEWSI,  
SUB PRAESIDIO  
DN. GEORG. CHRISTOPH.  
DETHARDINGII,

FACULT. MED. SENIORIS ET DECANI, UT ET SERRIENS. DNE.  
REGNI CONSIL. AULICI,

PRO GRADU DOCTORALI

RITE CAPESSENDO,

DIE OCT. A. MDCCCLX.


H. L. G.

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTIT

CHRISTIAN. FRIDERICUS THOMSEN,

BURGO-FEMERANUS.



BUTZOVIA

TYPE JOHANN. GOTFR. PATRII SEN. PRINC. AUL.  
ET ACADEM. TIPOG.



## PROOEMIUM.



Ab industria Medicorum, horumque ingenuitate in communicandis meditatibus, observationibus, experimentis, & inventis adeptum habendum, quod ars salutaris ad illam absolutionem perfectionemque pervenerit, qua hodiernis temporibus coruscet. HIPPOCRATES, GALENUS, TRALLIANUS, ARETAEUS, CELSUS, aliique vel ex hoc capite famam consecuti sunt




immortalem, quod in monumentis horundem posteritati relictis, nihil ad cognoscendos & curandos morbos necessarium reservaverint, sed integra fide insimul cautelas observandas addiderint. Vestigia horundem persecuti recentiorum plurimi, operam itidem collocarunt omnem, in amplificandis singulis medicinae partibus, iisdemque Philiatricis candide aperiendis. Tametsi passim deprehendantur, qui vel invidia rapti, vel nummis inhiantes, vel inventi cujusdam gloriam acquirendi ergo, a se detecta inter secreta collocaverint, nec publici juris fecerint; v. g. de famigeratissimo quondam Anatomico RUIYSCHIO notum, hunc methodum vasa corporis humani materia ceracea replendi, a SCHWAMMERDAMIO primo inventam magis excoluisse, sed & tectam usque adeo servasse, ut hanc, una cum præparatis anatomicis Augustissimo Russorum Imperatori, pretio triginta millium florenorum vendiderit, quando alii hoc in negotio itidem exercitati, SCHACHERUS, *Christian.* VATERUS, LIEBERKUEHN, *Car. Aug.* a BERGEN, *Thom.* LAGHIUS &c. compositiones hujus materiae ceraceae injiciendæ, junctis insimul singulis observandis encheiresibus sincere

cese detexerunt. Scarificationem oculorum, ab HIPPOCRATE, CELSO & AEGINETA celebratam, abhinc vero neglectam, longo intervallo denuo introducere annisus est haud incelebris Medicus oculusarius WOOLHUSIUS, methodum autem hujus operationis, & instrumentum eidem conveniens a se excogitatum occultans. Cel. HEISTERUS instrumento tali instructus, parili cautione illud tegere, & quasi velis obtendere studuit, quando sub hac operatione linteum ægroto & sibi superimponendum curavit, ne ab adstantibus curiosis tam facile observari & conspici posset, & fortassis descriptionem instrumenti hujus *Institutionibus* suis *chirurgicis* non inferuisset, nisi MAUCHARATUS in *Dissertat. de ophthalmoxosi nov-antiqua*, Tübing. 1726, & PLATTNERUS in *Disput. de Scarificatione oculorum*. Lips. 1728. habit. totum hujus operationis apparatus ante ipsum propalassent.

Quod Spagyri sub descriptione sic dictorum processuum chemicorum, desideratam probitatem & ingenuitatem non semper præ se ferant, ii subinde cum damno experiuntur, qui fidem horum secuti, ex ignorantia necessariarum encheiresium, & cautelarum, operam

& oleum perdiderunt. Ut Alchemiæ studio fascinosos silentio præteream, quippe qui artem, quam ipsi non callent, ænigmatibus & hieroglyphicis descriptionibus involvere, eoque ipso corvos hiantes illudere nimis quam seduli esse solent. Imprimis catalogo huic inferendi, qui medicamenta ab ipsis inventa ceteris notis atque usualibus non tantum præferunt, verum & pro arcanis maximi pretii venditare non erubuere. Horum namque numerum inter Medicos maximum esse, experientia quotidiana docet. Cum specimen aliquod eruditionis publicum, jussu gratiosæ Facultatis Medicæ pro gradu Doctorali rite obtinendo sit edendum, incidi in hæc cogitata, ut adumbrationem istiusmodi medicamentorum arcanis insertorum pertractandam proposuerim. Quibus conatibus summum atque benignissimum Numen adsistat, humillime precatus.



TRA-



## TRACTATIO.

### §. 1.



**N**otitia medicamentorum hoc cum reliquis scientiis habet commune, ut non simul & semel ad istud, in quo constitutam eandem nunc videmus, fuerit elevata fastigium, sed sensim sensimque, Experientia duce, comite Ratione adoleverit, & virilem ætatem adsecuta sit.

### §. 2.

Non una vero Primoribus fuit eo perveniendi methodus, sed diversas sunt ingressi vias, quo ad scopum

pum desideratum pervenirent. Nonnulli soliti erant ægrotos in publicis locis exponere, atque advenientes rogare, an tali morbi genere olim correpti, & quibus adminiculis atque remediis sanitati fuerint restituti? quod si occurrebat quispiam, qui similem se sustinuisse ægritudinem ajebat, hic libero animo communicabat remedium, ex quo se convaluisse putabat; sin hoc denuo eundem salutarem effectum exseruerat, in tabulis votivis in templis suspensis hæc curatio adnotabatur.

§. 3.

Alii Diis sacrificia offerebant, ut detegerent remedium, quo morbus debellari posset, & perlustratis abhinc variis vegetabilium hunc in finem in atrio templorum reperibilibus speciebus, somno sese tradebant, quo sub insomniis illis offeretur planta quædam morbo conveniens. Hoc negotio iterum ex voto succedente, historia curationis tabula consignata in templis suspendebatur.

§. 4.

Quidam ex signaturis simplicium, vel cum membro adfecto, vel cum morbi causa & symptomatibus, vel cum lædente extrinseco, aliqua ratione conspirantibus remedia quærebant, quod crediderint, Deum in informationem hominum, externa facie simplicium, memoratis morborum circumstantiis quodammodo analogia, virtutes remediorum indigitare voluisse. Pro-

ba-

babile enim admodum est, ex hoc fonte commendata fuisse, v. g. capita papaveris in adfectibus capitis, folia Ari maculata ad maculas faciei delendas, semen Cardui Mariæ, & benedicti, item Mandibulas Lucii piscis in pleuritide, Radicem Curcumæ in Ictero, Orchidis in venere langvida, Capillos veneris, reliquasque plantas capillares dictas ad crines tingendos, horumque luxuriam promovendam, Hæmatiten in Hæmorrhagiis &c. de quibus legi meretur Disput. D. *Rudolph. Wilb. CRAUSII de Signaturis vegetabilium. Jenæ 1697. habit.*

## §. 5.


Tali Antecessorum experientia & sedulitate innutritus, vel ex tabulis modo memoratis edoctus HIPPOCRATES artem curandi in ordinem redegit, & scriptis suis hodiernum adhuc celebratissimis, atque omni fide dignis, dogmata medica, observationibus firmis, quas propria experientia insimul ipsi suppeditaverat, fundata aliis patefecit, & remediorum, quamvis simplicissima ratione præparatorum notitiam dedit, ut Successores in arte medendi, prævia morborum cognitione sufficienti, instructiores incedere potuerint.

## §. 6.

Medicina proinde veterum fuit scientia paucarum herbarum, successu tamen temporis crevit remediorum numerus, & cum his studium Medicorum, hæc diversimode præparandi, combinandi, atque va-

B

ria



ria sub forma ægrotis exhibendi, hinc ex ignorantia partium horundem constitutarum ortum duxerunt formulæ sesquipedales, & diffusissimæ compositiones in Dispensatoriis nostris passim adhuc deprehendendæ, Theriacæ varii generis, Antidoti, Orvietana, Mithridatia, Syrupi, Opiata, Electuaria, aliaque hujus furfuris plura, in quorum basi eruenda, vel ipse Oedipus frustra tempus contereret. Authores tamen harum compositionum non crepuere arcana, in communicandis eisdem facillimi, donec ille Horribilicribrifax, *Philippus, Aurelius, Theophrastus, Bombastus*, PARACELSUS *ab Hobenheim*, explosis remediis, methodo sic dicta Galenica paratis, chemica in artem medicam introducere, insimulque magnificis verbis inventa arcana spagyrica extollere annis fuerit, quorsum referenda *Salmeb, Elixir proprietatis, Spiritus vitrioli antepilepticus, Sulphur vitrioli anodynum, Extractum Catholicum, Azoth, &c.* Cui non immerito sociandus HELMONTIUS, utpote qui PARACELSI placita licet passim reprobaverit, in proferendis tamen paradoxis, & excogitandis inauditis, atque barbaris rerum, & medicaminum a se inventorum nominibus v. g. *Drif, Liquore alcabest, Auro horizontali, Mercurio corallato, Ente primo Cedri*, & sic porro, eundem superasse videtur. Hi in concinnandis & ebuccinandis suis arcanis antesignani, imitatores genere infinitos, & nescio sane, an non hi insolentius suis arcanis se jactaverint. Ex tot Thrasonibus licebit unicum saltem adducere, *Christian. Ludov. WILHELMI*, qui in *der Beschreibung und Gebrauch des mineralischen Gicht-Magnets*. Lips. 1733. edit, ita de suo arcano loquitur:

tur: Ein solches Antidotum sey noch nicht in der Welt zum Vorschein gekommen. Es bestehe solches aus dem Central-Wesen aller Mineralien, sey der wesentliche Geist, in welchem das Licht, Feuer und Leben derselben eingeschlossen, und verborgen lieget. Wie er aus dem Macrocosmo sein ætherisches, und alles penetrirende Feuer an sich ziehet, seinen Körper dadurch belebet, alle Mineralien und Metallen gleichsam schwingert, und theils zur Flüchtigkeit, theils zur Fixität zwinget; also ziehet er aus dem Microcosmo, als ein gereinigter, und durchdringender oehligter Geist, so durch adequate Vermischung desto füglicher zum menschlichen Körper determiniret, und specificiret worden, durch äusserliche application alles, was die massam sanguinis, insonderheit in denen Gelencken turbiret - - - - sed tædet plura fanaticismum propemodum sapientia verba hujus impostoris adducere, ex quibus adparet, quam seduli sint hi circumforaneis omni jure æquiparandi Medici in seducendis & alliciendis credulis, si quando aurea praxis non blandiatur, quinimo nec plumbea speranda sit, ut contra receptum & genuinis Medicis adamatum morem, non nisi opem efflagitantibus ægrotis manus auxiliatrices porrigendi, falcem suam quaquaversum mittant, atque omnibus & singulis medicamina sua bullatis verbis commendando, si non messem integram, spicilegium tamen quoddam reportare allaborent. Cujus farinæ itidem sunt Authores *Tinctura cordialis Regie*, *Tinctura vite universalis*, *Essentia vite Astralis*, *Essentia antimelancholica*, *Olei vite*, des vortrefflichen Gesundheits- und Lebens-Thee, des universalen Lebens-Balsams, des vortrefflichen Persanischen Räucherwercks &c.



Qui plura exempla scire avet, evolvat passim Annales Vratislavienses, istiusmodi arcana, subjuncta quandoque arguta epicrisi, singulis fere mensibus commemorantes, item Appendices Relationum Politicarum Hamburgensium.

## §. 7.

Ab empirica hac curandi ratione parum defle-  
ctunt Medici, qui sua arcana, non nisi prævio aliquo in-  
gressu, vel expositione erudita de statu hominis sani  
vel ægroti, de certis quibusdam morbis &c. aliis me-  
dicamentis hætenus cognitis præferenda esse, evince-  
cere conantur, cui classi inferendi, v. g. D. *Job. Henr.*  
*HELCHER*, Medicus Vratislaviensis, qui in libro sub  
rubro: *Cur incurabler Kranckheiten*, prævia morborum  
difficilium aliquali descriptione, Medicamenta propria  
manu elaborata, *Tincturam* puta *Solarem*, *Pulveres con-*  
*fortantes*, *Essentiam polychrestam*, *Pillulas balsamicas*, *Pul-*  
*verem antifebrilem*, ceteris omnibus palmam præripuis-  
se, multis adductis exemplis probare annititur; item  
D. *ETTNER* in scriptis suis politico Medicis satis no-  
tis, & præsertim varia chymica, chirurgica, pharma-  
cevtica, & ad artem obstetriciam spectantia continen-  
tibus, arcana sua, *Tincturam antimonii veram*,  
*Tincturam Coralliorum veram*, *Sal Tartari volatile*, *oleum*  
*Talci verum*, præsertim autem *Bezoardicum* suum *uni-*  
*versale*, pro parata pecunia offerens. Pariter D. *Daniel*  
*SCHULTZE*, qui circa diætetica paululum occupatus,  
bina imprimis arcana: *Einen allgemeinen Naturstärckenden*  
*oder Lebens-Balsam*, & *Bluthreinigende Haupt-Pillen* extol-  
lit.

lit. Ut plures hisce similes, & medicamentorum officinis domesticis inferendorum Authores silentio præteream.

## §. 8.

Sed & Principes passim, atque Magnates possessores arcanorum, tantum non semper antepilepticorum esse observamus, quæ ab Archiatriis, vel aliis Medicis, quinimo ab Empiricis, vel ex officio, vel pretio, vel gratiam ipsis impertiendi ergo obtinere, quæque philanthropia commoti, subditis, aliisque ægrotis gratiosè suppeditare consueverunt. Si quando sciscitantibus, quinam effectus ab hoc remedio subsecutus, ex modestia, gratitudine, vel metuenda indignatione refertur, vim morbi admodum remisisse, licet nullum levamen æger exinde senserit, hi confirmantur in persuasione jucunda possessionis egregii hujus medicamenti, quod a notis consimilibus parum vel nihil differre solet.

## §. 9.

Nullum tamen sic dictorum arcanorum irrisione vel contemptu magis dignum censendum, ac quod titulo medicamenti universalis coruscat. Adeo namque processit protervitas atque impudentia nonnullorum Medicorum, sed eo ipso magis Empiricis adnumerandorum, ut stolidis subinde suis inventis hoc nomen tribuerint, imo, quando aliunde possibilitatem energiæ eorundem diffusissimæ euincere non valent, ad unum solem omnes plantas vivificantem, & ad unum Me-

diatorem inter Deum & homines provocare non erubuerint. Quod si saltem consideremus, causas morborum esse diversissimas, nunc sangvinem, aliosque humores quantitate sua, nunc sua qualitate peccare: motum humorum aliquando observari celeriore, aliquando nimis segnem: fibras partium solidarum nunc esse nimis strictas, nunc relaxatas admodum, nunc diversimode actuari &c. quis prudens crediderit, in his e diametro contrariis morborum causis unum idemque convenire, aut valere remedium. Polleret sane istiusmodi medicamentum universale ratione, qua, simulac in corpus intraverit, pro varietate circumstantiarum, nunc spissos humores resolvere & adtenuare, nunc nimis tenues, vel acres inspissare, & alterare, nunc constringere poros & fibras, nunc has dilatare & aperire posset. Vel, si & omnibus istis indicationibus interservientia pharmaca in unum medicamentum coacervarentur, quale quid famosus quondam Agyrta, *Augustus THOMAS* de suo *Electuario de ovo* venditavit, quod ex 2945. speciebus constiterit, confusum tale chaos non nisi confusas mutationes in corpore humano excitaret. Quod si medicamentum certo respectu universale dicendum, me quidem iudice, nullius efficaciam esse deberet. Hoc dubio procul intellexit Medicus quondam Londinensis famigeratissimus, cujus pillulae universales per totam urbem celebratae, in quibuscunque propemodum aegritudinibus, nonnunquam insigni cum euphoria in usum trahebantur, saltem nullus exinde male se habebat, donec post obitum ejus, haeredibus praeparationem harum pillularum non tam solícite ce-  
lan-

tantibus, magna de his opinio plane desierit, quod singuli resciverint, easdem ex pane triticeo, intermixta fuci ergo, cinnabari, fuisse conflatas. Avtoeratia siquidem naturæ, phantasia armata, suppetias ferre solet istiusmodi inertibus rebus, ut effectus ab adhibitione harundem haud ita raro subsequatur, a nulla alia causa derivandus. Hæc est ratio, cur ab amuletis febres intermittentes, aliique morbi subinde fileant, a remediis sympatheticis finis desideratus non raro obtineatur, nulla vi emetica vel catarctica imbuta, loco vomitoriorum vel purgantium adsumpta, pariles nonnunquam cum istis virtutes exferant, dolores partus a plane sterilibus rebus excitari possint, & sic porro, quales observationes quotidiana experientia, & ephemerides Medicorum abunde suppeditant.

## §. 10.

Data hac occasione, paucula de Auro, ejusque virtutibus & præparatis subjungere licebit. Hujus metalli soliditate & pondere, omnia reliqua corpora superante, indestructibilitate, & fortassis pretio commoti Medico chymici, illud pro summo cordiali, antidoto, & ad vitam prolongandam maxime idoneo habuerunt, tam in substantia datum, quam occulta & recondita arte potabile reddendum. De FROTONE I. Rege Danorum narratur, hunc contusis, commolitisque auri fragminibus cibos adspargere solitum fuisse, ut vitam conservaret, & adversus familiares veneficiorum insidias tutus esset, unde aurum a veteribus Rhythmicis Danis Frotonis farina



na fuit nuncupatum. conf. Thom. BARTHOLINUS in *Vindic. pro Medicin. Danorum p. 511.* Hunc itidem in finem Medici veteres auri folia variis medicamentis addiderunt, quorum pertinent *species de Gemmis calide Mesues, latificantes Galeni, Rhafis, Pulvis marchionum,* & hujus commatis plura, in nostris pharmacopoliis passim reperibilia. Alii extinctionem auri in jusculis, vel aquis destillatis, mystico nomine *Apobamma* dictam, miris laudibus extulerunt, imo ceteros inter, felicissimus quondam in emungendis Magnatum crumenis, *Josephus BURRHUS* in *Epistola ad BARTHOLINUM* author fuit, ut hæc operatio in vase aureo fiat. At, quod observatum, auri folia per annum, & quod excurrebat, in ventriculo delituisse insoluta, & vomitu tandem rejecta. vid. *WEPFERI Observ. Med. Pract. CXII p. 495, & 198.* pariter vehementissimi ignis tortura aurum vinci non potuisse, spreto ejus corpore, animam tantummodo, vel spiritum, vel partem sulphuream extrahere allaborarunt, hinc orta tot medicamenta solaris, quibus ægroti ex orci faucibus eripi posse venditur; modo dolendum, experientiam his pollicitationibus subscribere haud voluisse, vel si forsitan effectus quidam ab hisce medicamentis observatus, potius menstruis, vel admixtis aliis rebus, quam auro tribuendum fuisse, facile foret demonstratu, si necessitas id efflagitaret. Essentialis etenim auri destructio, vel radicalis solutio inter desiderata chemica huc usque retulerunt spagyriæ veri cultores, ut, qui aurum in sua principia resolvere calluerit, etiam aurum conficiendi

me-

methodum nosse debere, haud absque ratione judicent. De lapide sic dicto philosophico, ejusdemque miranda, & moribundos sanitati restituendi energia nil addere placet, non entis etenim nullæ sunt adfectiones, & si extiterit, tamen adhuc restaret probandum, a virtute metalla ignobiliora in aurum commutandi, valere ad morbos debellandos conclusionem. Consultum proinde magis foret, recte monente LUDOVICO in *Pharmacia, Dissert. 1. p. m. 196.* ut Medicus Practicus sibi ex medicamentis aurum, quam ex auro medicamenta paret.

## §. II.

An singula remedia, a Medicis in theoria & praxi exercitatis, inventa, vel emendata, atque effectu, cui destinata sunt, non destituta, si quando compositionem horum sibi reservaverint, inter arcana statim sint collocanda, simpliciter affirmare non audeo. Divulgationem horum disuadet, imo tanquam injuriam in sui familiam damnat CURVUS SEMMEDUS in *Observ. V.* allegando CICERONEM *Lib. III. de officiis: non esse utilitates proprias omittendas, aliisque tradendas, cum his ipse egeamus, sed sue cuique utilitati, quod sine alterius injuria fit, servendum.* Talia inter referendæ v. g. *Pillulae Stahlianæ*, ad imitationem Beccherianarum a STAHLIO concinnatæ, & certo respectu correctæ, ita ut per totam propemodum Europam innotuerint, atque Authoris famam & divitias auxerint. Hoc exemplo incitatus HOFFMANNUS, aliique Medici, pariles composuerunt pillulas, *polychrestarum*, vel *balsamicarum* no-

C

mi-

mine satis notas, & licet harum descriptiones a nonnullis tectæ adhuc ferventur, levi tamen negotio ejusdem indolis præparari possunt, modo extracta herbarum rite sint elaborata, gummata selecta, & aloes resinosa sua substantia orbata; nec tanta harum compositionum foret differentia, si quando forte aliquod extractum amarum loco alius eligatur, modo debita ingredientium observetur proportio, nec necessaria omittantur.

## §. 12.

Non morabor varias alias pillulas pro secretis habitas, utpote quæ ad planetas pertinent in Zodiaco medico occiduos, & fortassis nunquam orituros; sic magni fuere æstimatæ *Pillula Wildegansii*, & *Starckeyana*, multæque prostant descriptiones, quorum quævis pro genuina venditur. Quando opium pro basi agnoscunt, unicuique in praxi clinica versato notum, caute cum hoc narcotico mercandum esse, licet variis artificiis, encheiresibus, & additamentis fuerit domatum vel correctum. Quod in specie pillulas Starckeyanas concernit, harum admodum laboriosa in *Dispensatorio Brandenburgico p. m. 143.* deprehenditur præparatio, qua supersedere facile possumus, quando recte monente SCHULTZIO in *Patbol. special. p. 36.* opium purganti cuidam efficaci jungitur, additis extractis quibusdam, & succis scopo desiderato idoneis. Increbuisse passim observamus penes Medicos nonnullos talem ut ita dicam, pillulomaniam, ut aureolam in mustaceo quæren-

rentes, pillulas, cum addito: *mea*, vel *nostræ compositionis* pharmacopolæ præparandas committant, vel propria manu elaboratas ægrotis exhibeant, tametsi nulla ipsis sit præusualibus concedenda prærogativa. Id quod de aliis Medicamentis itidem perhibendum.

## §. 13.

Classi huic plura possent inferi, quorum inventores in propalandis eisdem non tam faciles exstiterunt, attamen, vel aliqualem suppeditarunt adumbrationem, vel quæ industria aliorum detecta aut imitata deprehenduntur, qualia sunt Sal volatile oleosum SYLVII, Balsamus vulnerarius DIPPELII, Liquor anodynus mineralis HOFFMANNI, ejusdem, & TEICHMEYERI Balsamus vitæ, Guttæ anglicæ, Eau des boules, des Carmes, de Luce, Elixir pretiosum HANNECKENII, Lacrymæ Jobi TAUSCHII, Panacea Glauberiana, Pillulæ BELLOSTI, Elixir stomachium GARRELLI, Antiquarium RIVERII, Corrosivum SUTORII, Emplastrum anglicum, Lac S. Lucie, Lapis BUTLERI, de Goa, Globuli bezoardici, Ramoneur Chiliarchæ MONCKII, Oleum contra Beriberi, Oleum bezoardicum WEDELII, Spiritus ophthalmicus HILMERI, Elixir stomachium STOUGHTONII, & sexcenta alia.

## §. 14.

Licebit tamen quædam in medium producere medicamenta haud ita pridem publici juris facta, quo-



rum tamen compositiones ab Authoribus deprehendimus occultatas.


In scriptis periodicis Hamburgensibus, hebdomadatim sub rubro: der *Artzt* editis, bina remedia polychresta, *Pulvis* nimirum *albus*, & *Essentia* das *Erweichende Digestiv* nuncupata, determinato pretio venalia commendantur, & quia hæ plagulæ tam varietate rerum propositarum jucunda, quam stili amoenitate lectores haud paucos ubique adlexerunt, & horum adtentio per plures annos conservata, hac occasione data, fama binorum nominatorum medicamentorum, non sine Authoris foenore eximio, longe lateque percrebuit. Et, si dicendum, quod res est, haud quidem rejicienda velim, tanquam indicationibus, quibus destinata sunt, sufficientia; verum, an ad secreta sint referenda, haud immerito dubitaverim. Pulvis namque, rite instituto examine, compositus est ex sale digestivo teneriori, quale est Tartarus tartarifatus, vel Sal mirabile, cui Nitrum, & absorbens alcalinum additum; pariles autem pulveres ejusdem efficaciam quavis peritus, & in eligendis convenientibus medicamentis exercitatus Medicus concinnare valet, & solet. Quando hic pulvis cum consimilibus salinis hoc habet incommodi, ut diu, & in copia adsumtus ventriculo cedat in præjudicium, ad hoc vitium corrigendum, Author ejus Essentiam supra memoratam voluit addendam, quam ex spiritu aromatico abstractio, addito pauxillo salis volatilis compositam, & croco tinctam esse comperimus. Tametsi horum binorum medicamentorum usus empiricus, & promiscu-

cu-

cuus, non observatis contraindicantibus, loco sperati emolumenti, nocivus interdum fieri potest, tamen diffractio eorundem Authori, redhostimenti loco non adeo invidenda, quod ultra trecentas hebdomades in labore hoc periodico assidue permanserit.

## §. 15.

Severiore jure meretur censuram Pulvis a Doctore Gallo AILHAUD magnis encomiis a 1749. peculiari scripto ebuccinatus, cujus tamen primaria, vel potius unica virtus in subducenda alvo consistit. Nolo in evolvenda inepta & græcula hujus Authoris theoria, plethoricam constitutionem, & insufficientiam, imo perniciem ventilationum sanguinis concernente, esse occupatus, quam *Christ. Gottbold SCHWENCKE* peculiari epistola 1751. edit. jam infirmavit, sed tantummodo inquiram in partes hujus purgantis constitutivas, Sunt, qui compositum illud esse perhibent ex pulvere radice Jalappæ cum succo Rhamni cataractici vel solutivi imprægnatæ, haud parum namque cum tali mixtura convenit; sollicito tamen magis examine plurimum dosium, ab ipso Authore propria manu insignitarum, maxima cum probabilitate concludendum, nil esse, nisi Electuarium Diacarthami ad consistentiam pulveris usque exsiccatum, hujus namque similitudinem speciemque gerit perfectissimam. Quicquid sit, pertinet ad cataractica, experientia monente, infida satis, & non omnibus individuis indistinctim porrigenda; fuerenamque, qui vel vigesies abhinc alvum dejicere




fuerunt coacti. Verum ab Authore hoc, dementi & temeraria ratione procedente, hinc merito & optimo jure Empiricis adnumerando, præstantiora expectari non poterunt pharmaca, utpote qui sub catharsi nullam observandam diætam perhibet, sub apoplecticis insultibus, octo vel decem Tartari emetici grana huic pulveri addenda esse injungit, & continuatum ejus fere quotidianum usum ad annum usque præcipit. Quæ & ratio est, cur in terris Borusso-Brandenburgicis distractio hujus purgantis fuit interdicta. vid. VOGEL *Bibliotheca Medica Tom. 1. Part. X. p. 745.*

§. 16.

Non possum, quin, adhuc medicamenti polychrestii, vel magis universalis dicti, Lagæ, a Dn. Pastore S - - binis impressis plagulis publicati, mentionem injiciam. Nil interest, adduxisse, undenam Dn. Author compositionem hujus remedii obtinuerit. Pariter monita moralia, divulgationem hujus arcani tangentia, tanquam a foro medico aliena, persequi nolo. Sed ut scopo præsentis satisfaciam, paucis indicandum, exploratissimum mihi esse, Medicamentum hoc formam Elixirii habens, vix ex aliis speciebus, quam ex Rhabarbaro, Baccis Ebuli & Juniperi, mediante coctione in aqua simplici parari, cui pauxillum Camphoræ in spiritu vini solutæ additum. Haud proinde operæ erit, multis demonstrare, virtutes hujus arcani venalis, nil minus quam panchrestas esse posse. Possidet namque a Rhabarbaro & baccis Ebuli vim

vim catarcticam, & licet ultimæ in hydropicis adfectibus passim commendentur, tamen energia harum a coctione admodum fuit debilitata, quale quid circa omnia vegetabilia emetica atque purgantia, vim aquæ bullientis experta deprehenditur; a baccis juniperi diuresis derivanda, & Camphora fortassis pro scopo discussorio & diaphoretico fuit juncta. Quantumvis ergo in morbis chronicis, febribus quartanis, malo hypochondriaco, flatulentis, Cachexia, Leucophlegmatia, Anasarca aliisque tumoribus serosis, sine noxa usurari possit, præsertim, quando guttatim porrigitur, in Hydrope autem Ascite inveterato, nodis atque tophis artuum, quibus & suppetias ferre dicitur, nil sane præstabit, licet cochleatim fuerit propinatum. In Dysenteria epidemice grassante, interpolatus usus olei lini & olivarum, dubio procul, plus, quam hoc Elixirium præstitit, & effectus prophylacticus sub hac ægritudine, aliisque morbis contagiosis potissimum confidentiæ tribuendus. An vero in morbis acutis, inflammatoriis, exanthematibus, aliisque santicis adfectibus, sub quibus bis peccare non licet, intrepide, & sine metu subsequenti sinistro successus adhiberi possit, non ausim adfirmare. Quod hoc itidem suboluerit Dn. Author, dubio procul experientia cautior factus, vel exinde concludendum, quia pulverem tandem antorgasticum huic Elixirio maritavit, sed itidem secretum, & ex Tartaro vitriolato, vel Arcano duplicato, Nitro, & Conchis, vel oculis cancerorum haud satis tritis, addita parva quantitate cinnabaris, constantem. Quando cum pulvere antispasmodico rubro omnibus  
no-




noto maximam partem coincidit, loco hujus, in sanguinis aestu moderando, & motibus extraordinariis compescendis, in usum trahi posset; sed non facile svaderem, ut v. g. in Pleuritide exhibeatur, sub qua, ex irritatione, a salinis hujus pulveris partibus excitata, inevitabili, tussis ad suffocationem usque augmentum caperet. In Angina inflammatoria omnem deglutitionem, quinimo respirationem sufflaminante, pulveris hujus usus frustra tentaretur, potius molestias has exacerbaret. Sub malo Iliaco, vel sic dicto Miserere mei, vomitus pertinaces augendo, ægrotum in deteriorem statum præcipitaret; tandem nullum Medicum circumspæctum in dysenteria tales pulveres salinos commendaturum fore crediderim. Sed abstineo a pluribus, usum binorum horum arcanorum spectantibus animadversionibus; quando ex adductis satis adparet, Authorem arti salutari nunquam navasse operam, nullusque dubito, si quando exempla ægrotorum a remediis his vel non restitutorum, vel sinisterum effectum expertorum passim conquirerentur, numerum horundem haud exiguum fore futurum.

§. 17.

Ex his allatis momentis jam satis patere arbitror, non esse arcana vera dicenda, quæ titulis hisce superbiunt, fucō saltem occultantur, nulli eminentibus virtutibus præ hæctenus notis pollent, & quorum parilia vel in nostris pharmacopoliis prostant, vel a quovis perito Medico, ratione morborum, horumque sympto-

ptomatum concinnari possunt; sed eis duntaxat hæc concedenda prærogativa, quæ morbos hucusque a nullo cognito medicamento superabiles averruncare, vel tollere, vel ad minimum, leviori & magis tuta, quam hæctenus fieri potuit, via sanare valent, quæque ab inventoribus, ad sumtus in elaborationem horundem impensos resarciendos, vel fructus licitos ex inventione hac in commune bonum cedente percipiendi ergo, moderato pretio prostant venalia. Dexteritati sane, & ingenuitati Medicorum plurimum debemus, qui in revelandis variis remediis hujus generis non adeo extiterunt invidi, sed in honorem artis salutaris, & solatium ægrotorum, liberali mente scriptis suis communicarunt, quæ eximia & singulari energia prædita fuisse, ex praxi clinica didicerunt. Sic gangræna & sphaelus a causis internis oriundus, jam ab usu convenienti corticis peruviani domari poterit, qui olim vim ignis & ferri illudit, & febres intermittentes, præsertim quartanæ huic vere polychresto remedio obtemperant, circa quarum curationem Medici quondam, secundum verficulum:

Hydrops, Quartana Medicorum scandala plana  
irrito sæpe cum successu fuerunt occupati. Deleterium  
luis venereæ virus sola olim salivatione auferendum,  
exigua quantitate Mercurii sublimati in spiritu frumenti  
rectificato soluti, sine molestia sensibili cicuratur,  
scirrhi & carcinomata cicuta debellantur & sic porro.  
Verum enim vero, variæ supersunt ægritudines, quibus tollendis ars medica,  
non obstantibus tot arcanis, panaceis, poly- & pan-  
D chre-



chrestis medicamentis plane insufficientis fuit, sicque sui domitores adhuc expectant.

§. 18.

Nondum dirissima, & acutissima omnium febrium malignarum, Pestis, integras civitates atque regiones devastans, imperio medicinæ se subicere voluit, quin teste tristi experientia, etiam ejus antesignanos, quibuscunque prophylacticis munitos trucidaverit. Nullis huc usque ex voto obsecundavit antiloimicis decantatissimis, tam interne, quam externe usurpatis, sed optima salus in fuga quærenda fuit, secundum vericulum:

Cito, tarde, tuto, cede, recede, veni.

Prostarent quidem arma hostem hunc obterentia, modo indoles & qualitas ejusdem rite constiterit. Quantum conjectura adsequi possumus, venenum hoc alcalinæ quidem est naturæ, volatilis, subtilissimæ, acris & putrescentis, verum & specifici quid insimul cum hoc conjunctum videtur, quod omni industria nondum detegi potuit, hinc acida non sine ratione a Medicis commendata omnem paginam absolvere noluere, nisi avtocratia naturæ interdum sibi suppetias tulerit. Periculum igitur faciant arcanophili in detegendo antidoto convenienti, nec deterreri se patiantur a supplicio, cui se subjecturos sponponderunt horum socii, si quando effectus promissis non convenerit. Ita enim D. *Andreas Christian. DIDERICH* certitudinem binorum suorum arcanorum contra pestem, in opusculo germanice hunc in finem scri-

scripto p. 32. sequenti epiphonemate corroborat: Ich verpflichte mich hiedurch, so bald die böse Menschen das geringste von Gift in meiner Medicin entdecken, oder besage meiner Schriften, gewissenhaft dociret, dass meine Medicin zur conditionirten Zeit, nach angewiesener simplen methode gebrauchet, und dennoch mangelhaft befunden, oder ein ander Medicus oder Apotheker ein Medicament habe, dass vor meinen in augenscheinlicher Kraft sich distingvire; auf einen von diesen 3. Fällen, alle Kosten einem jeden bezahlen, auch „mein Leben darstellen vvolle, dass der Leib zu den Verstorbenen eingegraben, und der Kopf ober der Erden mit einem „Brette mir abgestossen werde.“ Parilis audaciæ suit quidam Empiricus, de quo refert HEUCHERUS, in Disput. de Igne per Ignem extinguendo, p. 36. quod catenis vinci, imo suspendium pati voluerit, si quis peste correptus suo oleo camphoræ non liberetur.

## §. 19.

A Febri pestilentiali non multum abludunt ratione contagii, Febres variolosæ & morbillosæ, maximam partem hominum infestantes. Hujus loci non est, inquirere, an hi fontici morbi jam HIPPOCRATIS & GALENI temporibus fuerint familiares, an vero seculo, a nato Servatore, duodecimo ab Arabibus medicis primum descriptæ prostant. Pariter occupatus non ero in inquirenda causa horum morborum exanthematicorum, an in tubulis variis diu sæpe hæreat, tum vero in sanguine aliisque succis latitet, donec occasione contagii externi in actum deducatur, an vero se-



cundum hypothefin noviffimam D. de HAHN, folummodo ex evolutione vaforum cutis fangviferorum & lymphaticorum contingant, hinc ad ftatum naturalem pertineant, prouti dentes evolvi deprehendimus. Quicquid fit, in hunc usque diem nullum remedium prophylacticum inveniri potuit, quam feduli etiam Medici circa hoc negotium fe gesserint. WALDSCHMIDIUS quidem in Tractatu *Anchora Salutis pro variolosis* nomine veniente, arcanum jaftitavit, quo variolæ non tantum præcaveri, verum & curari tuto poffint, & licet DOLAEUM in *Encyclopadia Med. Lib. IV. Cap. V. p. 130.* hujus itidem obtinuerit Encomiaften, tamen in irritum cecidit talis labor præfervatorius, & prævio examine detectum, liquorem hunc antivariolosum fuiffe Tincturam coccionellæ cum fucco Betulæ factam. vid. LANGII *Oper. Med. Part. II. p. 283.* Ad infitionem proinde, vel inoculationem artificialem, tanquam ad facram anchoram fuit confugiendum, & quia & hæc varia, in hunc usque diem, fuffinuit fata, aliis eam extollentibus, aliis econtra, tanquam fruflraneam, imo noxiam, fumma contentione improbantibus, faluti publicæ admodum confulerent Medici, fi defudarent in excogitando tali arcano, quod deftrueret, vel evacuaret miasma variolarum & morbillorum, in fangvine, & fuccis vel tubulis corporis delitefcens, ne in fermentationem cum periculo vitæ fæpe conjunctam abiret, vel fecundum hypothefin HAHNII, prohiberet evolutionem vaforum capillarium, quam incolas regionum Europæ extremarum, morbos hos nondum expertos effe obfervarunt itinerariorum fcriptores. Sane! hoc

in-

inventum esset centum boum mactatione dignum, & ipsi lapidi philosophico præferendum.

## §. 20.

Lithontripticorum non vere talium, sed abusive sic dictorum catalogum, hinc inde ebuccinatorum, ex ingenti farragine adducere haud valeo. Operatio tantum non singulorum debite examinata, in sola diuresi plus minus forti fuit reposita, ita ut in nonnullis cum urina copiosiori, calculos vel arenulas exturbaverint, in aliis nil præstiterint, in non adeo paucis spasmodicas partium secretioni & excretioni urinæ destinatarum stricturas, anomalias hæmorrhoidales & arthriticas, imo quandoque ex propulsione calculi diæmetrum ureterum superantis, ischuriam periculosissimam excitaverint. Quæ & ratio, cur hodie non ita, ac olim fides istiusmodi arcanis habeatur, sed in sola diæta acquiescant Nephritide calculosa laborantes, abhinc per plures annos nullum paroxysmum experti. Calculorum vesicæ autem alia est ratio, hi etenim, imprimis mole aucti adeo excruciare subinde solent sui genitores, ut ob intolerabiles dolores, a ferro quandoque auxilium quæsiverint. Ante sex circiter lustra Supremus Magnæ Britannæ Senatus, medicamentum Lithontripticum a Johanna STEPHENS quinquaginta & quinque florenorum Hollandicorum millibus redemit, & publici juris fecit, cujus compositio cum modo adhibendi scripto gallico, *Mercure historique, & politique* a. 1739. mense Julio fuit inserta, & quatenus præcipuæ vires a sapone Hispanico derivandæ, eatenus superficiem calculi



vesicæ mollioris lambendo, hanc, teste experientia solvere potis fuit; verum siliceam indolem adeptos intactos plane reliquit, ut taceam, non omnes ejus usum sine molestia perferre potuisse. Prolixa beneficaque natura nobis in thermis Carolinis suppeditavit Lithontripticum vere egregium, haud ita pridem detectum, quod calculos vesicæ, a jam memorato remedio anglicano non solvendo, brevi dierum intervallo, in pultaceam, vel mucilaginosam substantiam commutando, hoc in effectu, aquam calcis vivæ ex ustis ostrearum concharumque testis paratam longe superavit. conf. *Gottlob Carol. SPRINGSFELD Comment. de Prærogativa thermarum Carolinarum in dissolvendo calculo vesicæ, præ aqua calcis vivæ. Lips. 1756. edit.* Verum, quando non omnibus contingit, hanc adire Corinthum, de thermis Carolinis æquipollente remedio cogitent, qui arcanis reipublicæ inserviendi studio trahuntur.

§. 21.

Ex omnibus autem arcanis, quæ convulsionibus & epilepsiæ opponuntur, frequentissima esse solent, Possessores horum se jactitant non tantum Magnates (§. 8.) sed & Medici & Medicastri, præsertim Chymici, mulierculæ ad empiriam admodum pronæ, nec aniculis exceptis. Plurima illorum constare observamus ex radicibus Poeoniæ, Valerianæ, Visco querno, lumbricis terrestribus, unguis alcis, cinnabari, carbonibus tiliæ, talis leporum, cranio humano, cordibus talparum, holoserico usto &c. imo, ne æstimo quid deficit,



fit, margaritis orientalibus, & lapidibus pretiosis. Ex quibus pulveres diversimode mixti, in epilepsia idiopathica adhuc recenti aliquod auxilium, præsertim in sensibilibus adferre valent. Verum, si morbus ille Herculeus a causa quadam materiali, v. g. plethorica constitutione, suppressis mensibus, Vermibus, Dentitione difficili, Exanthematibus retropulsis, adsumtis esculentis nocivis, venenis & sic porro, ortum traxerit, frustra adhibentur, nisi occasio ad hosce tumultuantes motus fuerit sublata. Pariter, si morbus jam fuerit inveteratus, ab hæreditaria dispositione, vel animi pathematibus, aliisque causis immaterialibus derivandus, nec oleum animale DIPPELLII, Liqueur Cornu Cervi succinatus, Antimoniata, & Mercurialia motus furentis Archei compestere valuerunt, sed relicta adhuc est gloria inventionis arcani domitoris, qui magis salutem ægrotorum, quam deficienti crumenæ consulere gestiunt.

## §. 22.

Mitto specifica sic dicta Medicamenta, quæ in certo quodam morbo peculiarem & appropriatam exserunt efficaciam. Quodsi in numero illorum subsistere vellemus, vel mille sese offerrent specifica, ut nullus fere morbus reperiat, cui talia ex triplici regno petita haud sint adjudicata, verum si lapidi lydio veræ experientia admoveantur, inertiam suam facile produnt, hinc Medici experti, & diffusissima praxi onusti, se hujus generis medicamentis parum instructos esse profiteantur. Unicum saltem in medium adducam, cujus meminit D. SCHULTZE in sua *Therapia generali*, pag. 70. quod, si ita se res habeat, verum speciale arcanum adpellari posset. Refert hic Vir celeberrimus, tanquam testis oculatus: a lamella metallica ut videbatur, ex stanno satis albido facta & flexili, quam Possessor ejus ex Russia adtulerat, ad flexuram genu posteriori  
nu-



nudæ cuti adligata, momento quasi exsurrexisse sudorem satis copiosum, sine molestia, qui remota lamina mox remisit, & cessavit. Inquisivit in metalli qualitatem, verum, quid esset rescire non potuit, subjungens, Possessorem, virum non vanum, bona fide adseruisse, ex metalli natura id fieri, se ante usum nulla re inungere, & absque virium jactura, per multos jam annos æque potens remanere. Nullos characteres fuisse in scriptos, vel impressos, figuram ovalem, & partis, cui adligari debet, figuræ adcommodatam.

§. 23.


Ut clausulam, penurix temporis ergo, disputationi meæ imponam, silentii peplo involvenda, quæ alias huc referri possent. Hoc unicum adhuc addiderim. Medicos, sana Theoria, Praxi applicanda imbutos, & in historia morborum medico-clinica probe versatos, ponderatis indicantibus, & contra indicantibus, paucos remediorum, ut in officinis reperibilium adparatu, feliciores esse, & audiri morborum debellatores, præ his, qui arcanis suis nimium fisci, his solis hostem radicatus extirpare annituntur. Recte proinde CAPIVACCIUS, Medicus apud Italos celeberrimus, Auditoribus, ut arcana sua revelaret, petentibus respondit: *Discite meam Methodum, & habebitis mea arcana.* Obsigno singula allata effato AMMANNI in *Medicina Critica* p. 158. *Medicus Arcanorum, vel Chymicæ nomine suam ignorantiam pallians, est Idiotæ, & Medicus Arcanorum titulo vulgaris venditans, est Falsarius.*

T A N T U M.

pag. 20. lin. 6. lege: *Erwärmende Digestio.*
















to p. 32. sequenti epiphonemate corroborat: Ich  
 lichte mich biedurch, so bald die böse Menschen das ge-  
 meiner Medicin entdeckt, oder besage mei-  
 wissenhaft dociret, dass meine Medicin  
 Zeit, nach angewiesener simplen methode  
 dennoch mangelhaft befunden, oder ein an-  
 Apotheker ein Medicament habe, dass vor  
 heinlicher Kraft sich distingvire; auf einen  
 n, alle Kosten einem jeden bezahlen, auch  
 ellen vvolle, dass der Leib zu den Verstor-  
 n, und der Kopf ober der Erden mit einem  
 stoffen vverde. „ Parilis audaciæ suit  
 cus, de quo refert HEUCHERUS, in  
 er Ignem extinguendo, p. 36. quod catenis  
 endium pati voluerit, si quis peste cor-  
 amphoræ non liberetur.

§. 19.

stifentiali non multum abludunt ratio-  
 nes variolosæ & morbillosæ, maximam  
 m infestantes. Hujus loci non est, in-  
 fontici morbi jam HIPPOCRATIS &  
 oribus fuerint familiares, an vero secu-  
 tore, duodecimo ab Arabibus medicis  
 otæ profent. Pariter occupatus non  
 la causa horum morborum exanthe-  
 tubulis variis diu sæpe hæreat, tum  
 e aliisque succis latitet, donec occasio-  
 terni in actum deducatur, an vero se-  
 D 2 cun-

